



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LVI. S. Lvdwinvs. XXX. Arch.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

S E C U L U M VIII.

LVI. S. LVDWINVS. XXX. ARCH.

S. Ludvvinus D. Bafini ex Gonzaga sorore sanguinis Regii Princeps cellissimo Ducis munere in aula Childeberti Regis est functus. At splendidis seculi titulis, & magnis insuper opibus spretis, amœnitate virtutis, & divinæ Sapientiæ studio captus, in monasterio Mediolacensi, quod super amœnam Saravi ripam prope Saraburgum extruxit, aquilæ invitantis augurio lætus, Monachorum regulas cœpit laudare & imitari. Fugisse honores publicos fuit invenisse: summo namque omnium ordinum consensu Ludvvinus ex tenebris evocatus ad lucem, eodem anni vertentis die electus est Trevirensium Archipræsul, quo seculo prius nuntium remisit: quo in munere per annos unum & viginti floruit insigni virtutum decore, ex bono marito factus melior Episcopus. Religionis messi eo tempore copiosissimæ ut incrementum faceret, D. Willibrordum Frisiæ & aliarum provinciarum Apostolum ferventissimum, peculiari amore ac favore complexus est, author & adjutor eidem factus, ut Trevirensi in agro excitaret monasterium S. Irminæ liberalitate dotatum, aut ditatum. Templis aliis & monasteriis vel institutis, vel instauratis, dum Rhemîs Ecclesiæ causam agit, mortis sustinet sententiam. Translatus Rhemîs Treviros, miraculis viæ comitibus Christianorum obviæ venerationi est plurimum commendatus. Imò ne Treviros deducerentur reliquiæ, obstetit luculentum miraculum: namque ubi ventum ad eum locum, quo Sara amnis propè Treviros Mosellæ miscetur, ferunt, attonitis omnibus immotam stetisse cymbam: at verò post invocatam cœli opem, & exploratam Omnipotentis voluntatem, navim, quæ prius gubernaculi impatiens, secundo licet amne, nec remigum nec vectorum ullo ministerio propelli poterat, versa puppi, atque inflexo cursu

su adverso flumini contravenisse, ac viam repetiisse: donec denique undis nequidquam obluctantibus Mediolacum usque incolumis appulsa, semet ripæ applicuerit, ut quem locum olim à seculi fluctibus portum vitæ tranquillioris attigerat Ludvvinus, eundem haberet quietis sedem, aut sepulchrum ab anno 718.

LVII MILO. XXXI. ARCH.

Milo D. Ludvvinii filius in connubii statu ante aditum Sacerdotium patris pridem susceptus, temporum, aut veriùs electorum iniquitate electus est Rhemorum pariter & Trevirorum Archipræsul; sago togam, galeæ infulam præhabendam ratus, bono persuasus consilio, si sequi consilia magis didicisset. Verùm detestantibus factum plurimis, pascere oves nunquam cœpit, venari in sylvis feras nunquam destitit. Annis omnino 40. lupum veriùs, quàm pastorem hunc tulere Treviri, donec tandem ab apro devictus, & an. 758. in frustra discerptus, sylvæ novum indidit nomen. Interea D. Willibrordus, & hoc Episcopo ex senio viribus deficiente, D. Bonifacius Trevirensium Ecclesiæ conservandæ vigilem navârunt operam, quò minùs tanto officio indignissimum removerent quàm primùm, potentiorum machinâs impediti.

LVIII. D. HILDOLPHVS. XXXII. ARCH.

D Hildolphus ex claro Bojorum stemmate ortus, & Ratisbonæ moribus ac literis excultus, à Pipino Gallorum Rege Treviros usque est translatus. Eremum publicis curis anteferre doctus, dum abitum paravit, aditum ad summos honores Trevirâs invenit, communi omnium acclamatione promulgatus Archipræsul. Quare tot suffragiis vocatus, nihil antiquius habuit, quàm collapsas ædes sacras refarcire, Clericorum vitia emendare, Divorum præsertim Trevirensium honores promoverè: testis sit D. Maximini sepulchrum ab aquarum illuvie

N equi-